



CAPUT II.

CANADENSIMUM DOMUS & RES FAMILIARIS;
MORBI; AEGRORUM CURA & MORTUORUM.

JAM, si mores & indolem gentis requiras, partim vagi degunt, in silvis per hyemem, quo venationis uberioris vocat spes; aestate, ad amnium ripas, ubi præbet facilem annonam piscatus: aliqui pagos incolunt. Casas fabricantur infixis humi perticis: latera corticibus intexunt; pellibus, musco, ramis operiunt fastigia. In media casa focus: in summo tecto foramen, emissarium fumi. Is ægre eluctatus totam, ut plurimum, casam sic opplet, ut coactis habitare in hoc fumo advenis sæpe oculorum acies obtundatur, & hebescat: barbari, du-